



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius


Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXX. In misericordia Christi crucifixi sperandum, ut tamen non obliviscamur justitiæ illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXX.

In misericordia Christi crucifixi sperandum, ut tamen non obliviscamur Justitiæ illius.

Misericors Dominus, & justus. Psal. 114. 5.

I.

S Amson in ore leonis à se occisi paulò post favum mellis & examen apum invenit: *Declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce* Judic. 14. 8. *examen apum in ore leonis erat ac favus mellis.* S. Augustinus per leonem istum allegoricè Christum & hunc crucifixum subaudit, ipse enim est *leo de tribu Juda*, qui propria morte superavit mortem, peccatum, diabolum ac gehennam, ex cujus ore prodiit dulcissimum mel SS. Eucharistiæ, & examen apum, id est, innumera Sanctorum & fidelium copia. Sunt, qui per dulce illud mel leonis misericordiam, & per examen apum aculeatarum justitiam crucifixi Domini intelligunt; & sicut populus Domini *mel suxit de petra, oleumque de saxo durissimo*: ita & nos de petra, qui Christus crucifixus est: *Petra autem erat Christus*, mel misericordiæ, sed & examen apum divinæ justitiæ possumus colligere. Anime mi! utrumque in manu tua est, vita & mors, misericordia & justitia: *Misericors Dominus, & justus. Quid vis?* Psal. 114. 5. elige.

2. Optabat quondam inter tot ac tantas illius ævi calamitates Isaias Prophetarum Princeps, ut Deus Filium suum in terram mitteret, tanquam agnum & dominatorem terræ, qui peccata mundi tolleret, totique Ecclesiæ & orbi dominaretur: *Emitte agnum Domine dominatorem* Isa. 16. 1. *terra.* Et quomodo ista conveniunt in Christo, agnum esse, & simul orbis dominatorem! Observa: Agnus fuit, dum in ara crucis pro omnium salute fuit immolatus: *Tanquam agnus mansuetus ductus est ad victimam*, sed & dominator terræ fuit, & est, & erit, quia Pater dedit ei omnem potestatem: *Potestatem dedit ei judicium facere*; Hunc, inquam, agnum & amemus, & timeamus, in illo speremus, & non in ejus

Ginther Unus pro omnibus.

Ll

mise-

Jac. de Vitri.
ser. 2. dom.
25. Pent.

miseriordia præsumamus, quia, ut ait S. Prosper, *sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum fugiamus*, & Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis: *Emitte agnum, ne desperemus, dominatorem ne præsumamus*; Agnus enim est verè pœnitentibus, & sperantibus in eum, sed & dominator severus obstinatis.

Luc. 14. 2.

3. Invitabatur aliquando Christus à quodam Phariseorum principe in Sabbato manducare panem: *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum*, qui vel notus, vel amicus erat principi JESUM invitanti; hic, inquam, spontè se obtulit, stans ante Dominum, non rogans aliquid, sed suam solummodò exhibens miseriam. Et quid JESUS? *Ipsè verò apprehensum sanavit eum, ac dimisit*. Supra quod Euthymius apud Barradium: *Hydropicus ille non ausus est petere sanitatem, sed solum ante Christum stetit, ut ex aspectu tam miserabili Dominus misertus sanaret eum*. Vide hic, ac perpende clementiam Salvatoris tui, dum non rogatus subvenit. Et quoties tibi?

Joan. 5. 9.

Simile quid fecit ad piscinam Probaticam, dum illum languidum, & per 38. annos in lectulo suo decumbentem sanitati restituit: *Et statim sanus factus est homo ille: Et sustulit grabatum suum, & ambulabat*. Sed observa quod sequitur: *Æger ille à Christo sanatus, mox ubi lectum suum domum aspottavit, sine mora ad templum se contulit, gratias ibidem DEO pro tanto sanitatis beneficio acturus, cui exinde Christus occurrens: Ecce sanus factus es: iam noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat*. Vide hic, ac considera, quomodo misericordiam comitari soleat justitia. Sic & in cruce uni latroni converso misericors fuit, alteri obstinato justissimus. Accedit, quòd piscina illa Probatica ex sanguine agnorum & victimarum semper rubens, & quinque porticus pro solatio ægrotorum habens, perelegans typus fuerit Passionis Dominicæ. Ita S. Antonius Paduanus: *Piscina, ait, est passio Christi: Porticus quinque vulnera ejus*.

S. Anton. Pad.
hæc.

Luc. 19. 41.
S. Bonav. in
hunc locum.

4. De Christo transeo ad Christum. Ubi Zachæum Publicanorum principem, & totam domum ejus convertit, ex Jericho rectà Hierosolymam ad passionem suam ascendit: Præibat autem discipulis suis ab hoc itinere abhorrentibus, quasi dux & antesignanus, fortiter & hilariter ad crucis mortem: *Et ecce ubi appropinquavit Jerusalem: Videns civitatem stetit super illam*. Cognitione ex hoc, & considera misericordiam pietissimi JESU: *Ostenditur autem, ait S. Bonaventura, hæc pietas Christi magna, quia in die summi honoris sui in terris (erat enim dies Palmarum) non cessabat à lacrynis per affectum compassionis*.

Verùm audiamus ulterius. Ibat Dominus post triumphalem hunc ingressum inter mille populi applausus rectà in templum. Et ecce ubi vidit

vidit domum Patris sui tantoperè à negotiatoribus prophanatam: *Ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo.* Cæterum S. Hieronymus hanc Christi actionem inter præcipua numerat miracula, quòd homo unus & pauper, qualis Christus erat, omnia Sacerdotum lucra uno momento potuerit subvertere, nemine mortalium resistente: *Adunius, inquit, flagelli verbera tantam eicere multitudinem, mensisque subvertere, & cathedras confringere & alia facere, qua infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Vide hic & perpende benignissimi Salvatoris tui justitiam. O quid erit in morte tua, anime mi! Si misericordiam illius divinam, toties tibi per vitæ tuæ eursum oblatam, non acceptasti? Tunc audies illud tremendum: *Vocavi, & renuisti: extendi manum meam (in cruce) & non fuit, qui aspiceret &c.*

5. Idem mitissimus orbis Redemptor Christus se gallinæ assimilare non dubitavit, unde dixit: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Considera ex hoc immensam ejus misericordiam in suos fideles; gallina enim misericors est & benigna erga pullos suos. Plus Christus in nos. Gallina compatitur suis parvulis, & cum illis infirmatur: *Christus languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Gallina de salute parvulorum valde sollicita est, eisque cibum distribuit: Christus SS. Eucharistiam, & in illa seipsum nobis præbet in escam. Gallina, si observat accipitrem, citò pullos suos sub alas colligit, & rostro, pedibus ac toto corpore defendit: Sic Christus pro nobis contra diabolum & peccatum usque ad mortem crucis decertavit: Sicut Mater, ait S. Bernardus, videns accipitrem, expandit alas suas, ut pulli subeant, & habeant tutum refugium; Sic nobis parata, & quodammodo dilatato sinu, extensa est summa illa, & ineffabilis pietas Domini nostri in cruce pendentis.

Vidisti hætenus ejus misericordiam, sed attende & justitiam, dum mox subjungit: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta,* hoc est non tantum Hierosolyma, sed & tota regio Judæa in pœnam tantæ ingratitude & tot scelerum excindetur, & à DEO desolabitur, quod exinde per Titum & Romanos milites completum est. Ecce misericors, & miserator est Dominus, sed & justus.

6. Cæterum quærit Veritas Christus: *Quis vestrum cogitans, potest adjuvare ad staturam suam cubitum unum,* ut longior & altior fiat? hæc quidem cogitatio & sollicitudo in homine pusillo frustranea & inanis est. Observat autem hic Euthymius, quòd omnis homo rectè formatus suorum cubitorum quatuor habeat in longitudine, & quatuor in latitudine,

268 *Consideratio LXX. Crucifixus misericors & justus.*

tudine, dum enim sua extendit brachia, crucem format, quæ crux & extensio brachiorum est iusta hominis mensura, & Crucifixi figura.

Quidquid sit hac de re, ego scio modum, quo possis ad staturam tuam non unum, sed plures adjicere cubitos; Cogita per devotam meditationem sæpius, imò quotidie de infinita Crucifixi Redemptoris tui misericordia, & quia Judex tuus est, simul de illius exactissima justitia: Sic cresces in amore Dei & in omni virtute, & adjicies ad staturam tuæ magnitudinis apud DEum tantò plus, quantò magis serio studio ista cogitabis.

Tom. 13. anno
1232, n. 22,

7. Hoc fecit pius Filius; de quo refert Odoricus Baronii Successor, quòd singularis amator, cultor & imitator crucifixi JESU extiterit, ob cujus amorem, cùm rogaretur, interfectori optimi parentis sui veniam dedit, illique ex animo ignovit, quod tantoperè crucifixo Domino placuit, ut, cùm ille in templo coram crucifixo Domino supplex oraret, Christus ad illum caput suum inclinaverit, quasi annuens, orationem ejus esse exauditam. Vide hic misericordiam crucifixi JESU.

Part. 1. tr. 5.
cap. 24.
Et Nadal. S. J.
apud me fol.
176.

Sed & justus est. Recenset ex Cæsario Alphonsus Rodriquez, quòd Christus in cruce uni tepido oratori dorsum verterit, objurgans eum: *Piger, cur tam segniter mihi servis? non mereris videre faciem meam.* Ad alterum tepidum, & in oratione dormitantem, ipse Dominus de cruce in imagine sua, quæ erat in choro, descendit, & colaphum tam vehementem ei infregit, ut tertia post die ex hac vita mortali bene castigatus discesserit. Discite justitiam, quia Dominus, cùm ad judicandum venerit, etiam justitias judicabit.

